



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Meletio, & quomodo sanctum Concilium pulcherrimè quæ ad causæ
eius cognitionem spectabant, disposuerit. Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

vitam traducant. Ac veterem ecclesiæ traditionem esse, vt qui cælibes gradum sacerdotalé consecuti fuissent, postea minime vxores ducerent: qui autem post nuptias ad eum ordinem vocati essent, hi ab vxoribus, quas habebant, minime separarentur. Atq; ista quidem, licet coniugii experts, fualit Paphnutius. Cuius sententiã approbavit cõcilium: & de hac re nullam legem tulit, sed eam in cuiusque arbitrio, non in necessitate poni voluit. De aliis autem rebus, vti sibi rectum videbatur, leges, quibus ecclesiæ status gubernaretur, conscripsit. Verùm has, cum apud multos extent, facilè est cuique pro arbitratu perlegere,

De Meletio, & quomodo sanctum Concilium pulcherrimè quæ ad causã eius cognitionem spectabant, disposuerit.

CAP. XXIII.

HIS accedit, quòd cum in res à Meletio in Aegypto fortè gestas accuratè inquisitum esset, concilium contra eum pronuntiauit sententiam, vt videlicet Lycũ incoletet, nomèq; solũ retineret episcopi: atq; de reliquo neque in vrbe, neque in pago vllum ecclesiæ ministrum ordinaret. Qui autem essent iam ab eo constituti, illi neque à communionem quidem, neque à ministerio excluderentur, sed tamen cæteris clericis in singulis ecclesiis ac provinciis constitutis, essent honore inferiores. Quinetiam vt in loca demortuorum succederent, si modò tum suffragio populi idonei viderentur, tum episcopus ecclesiæ Alexãdrinæ eos designaret: sed minimè liceret, quos vellèt, suo ipsorũ arbitrio deligere. Istud quidem cõcilio æquum putabatur, cum secum consyderaret, quàm temerario & præcipiti impetu ad ministros ecclesiæ creandos, tum Meletius ipse, tum suæ opinionis fautores ferri consueuissent. Nam Meletius, cum Petrus, qui pòst martyrio occubuit, eo tempore, quo Alexãdrinam regebat ecclesiam, propter persecutionem tum ingrauescentem fugam cepisset, ministrorum ordinationes ad Petrum solum pertinentes sibi arripuit.

Quòd